



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

NVM. 3. Mores.

IN Herzegosinâ omnes Catholici sunt, & impensè B. Virginem colunt, cuius imago visitur prope Seralium multis miraculis illustris, ad quam adeunt etiam Turcæ ægrotantes, & nonnumquam sanantur. In aliâ parte pfædones ferè sunt indigenæ, & ita parentum suorum Bessorum referre videntur indolem.

NVM. 4. Politia.

OLIM habuere Despoten dictum S. Sabæ, itemque in aliâ parte Regem dictum Illyriorum. Ultimus eius Despotes Stephanus cognomine Laticus, vulgo Hierchée, à Turcis excoriatus est (alij capite tantum multatum volunt) iusto Dei iudicio, quod patrem suum suâ ditione expulisset, & maluisset occupare principatum, quām expectare: eidem quoque parebant Seruia & Rascia. Eo cæso vacuam possessionem inuaserunt Hungari, sed Ludouico cæso anno 1520. Turcæ his omnibus regionibus potiti sunt: iam autem Bassa ius dicit Bessenæ, & 800. equites alit.

§. 8. De Valachia.

NVM. 1. Nomen.

NUGANTVR qui à Flacco quodam Romano Duce dictam volunt quasi Flacciam. Certius est sic appellatam à Blachis populis, quorum meminere Græci media ætatis: hi autem videntur fuisse Itali, quia nunc indigenæ se Volochos vocant, Germani Volesken, quæ vox Italos sonat: Turcæ Ivlach appellant, & Bogdaniam à principibus Bogdanis, quod nomen Theodorum, seu Dei-donum significat. Dicitur autem Valachia Transalpina, & Parua ad discriumen Moldauia, quæ Valachia quoque nominatur, sed à mœsi.

NVM. 2. Qualitas.

HÆC regio sylvis ubique ferè opacatur, vino nihilominus & frumento abundat. Alt oues & boues, quām in Hungariâ maiores, qui in Hungariam, & Germaniam deducuntur, vnde diuitiae Valachorum. Equi hic quoque vegeti, laborisque patientissimi, maximè si castrati sint.

NVM. 3. Mores.

OMNES penè Pastores, Armentarij, aut Subulci. Bellicosissimi
Parall. Geogr. Tom. II.

Qq